



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

Cap. I. De voti essentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**




## EXAMEN IV.

De Legibus in particulari circa materiam  
de Voto.

## CAPVT PRIMVM.

*De Voti essentia.*

1.  *Vid est Votum?* Voluntaria & deliberata promissio facta Deo de aliquo bono meliori. Hinc fit primò propositum deliberatum requiri faciendi aliquid in cultum Dei, animùmque se obligandi.

Liber deinde debet esse actus hic supererogationis cum sit; ex metu tamen orto ex causis naturalibus, vt ægritudine, tempestate, &c. valet: ea itaque deliberatio requiritur, quæ ad mortale peccatum satis esset, vnde si passio tanta sit, vt non adsit aduertentia, erit actio indeliberata, & votum nullum; secus si aduertentia non desit. Tertiò, soli Deo colligo esse faciendum votum propriè loquendo; si autem fiat Sanctis vna promissione ad ipsos immediatè ordinata, non est votum. Denique debet esse de bono meliori, de quo infra.

2. *Si substantiales conditiones voti ignorentur, eritne validum?* Non, secus si tantùm accidentales: eodè modo si conditio ignorata pertinet ad causam finalem voti, votum irritum erit; secus si tantum ad motiuum; non refert autem, an ignorantia inuincibilis sit, vel vincibilis, nisi affectata esset.

3. *Num opus ex voto melius, quàm sine illo?* Ita planè, & cæteris paribus magis etiam meritorium.

4. *Quotuplex votum?* Multiplex. *Personale*, id est promissio facta à vouente alicuius functionis personalis præstandæ. *Reale*, id est, promissio facta alicuius rei dandæ vt elemosinæ, &c. *Mixtum*, quod participat de vtroque, v. gr. vouere contra hostes fidei se pugnaturum. *Absolutum*, quod absolute emittitur. *Conditionale*, quod adhibita conditione. *Simplex*, quod consistit in nuda promissione. *Solemne*, quod sistit in actuali quadam dedicatione, & traditione proprii corporis, & libertatis acceptata ab eo qui vices Dei gerit, cum quadam solemnitate, qualitate, ac circumstantiis approbatis ab Ecclesia. Præterea votum diuiditur in purum, & pœnale,

nale, in internum & externum, in expressum, & tacitum; in occultum & publicum, de quibus omnibus patebit essentia.

CAPVT II.

De Voti materia, & diuisionibus eius materialibus.

5. **Q**uidnam voti materia? Totum id quod in Dei cultum potest promitti. Duplex est, vna proxima, humana scilicet actio, qua promittitur; & remota, vt in castitatis voto est humanum corpus. Debet esse de re possibili, & non de necessaria; quando autem esset de impossibili, non obligaret ad possibilem in illa inclusam. *Quid si materia promissa esset multorum actuum collectio?* Obligaret ad eos, qui possibilem sunt, nisi de vouentis contraria intentione constet.

S. I.  
Materia  
voti.

6. *Num votum de non peccando mortaliter, vel venialiter ex plena aduertentia, validum?* De mortali vtrumque validum est, de veniali autem ex plena aduertentia etiam validum, secus de non peccando simpliciter.

7. *Actio mala est ne voti materia?* Minimè, imò nec indifferens; debet enim esse de bono meliori, quàm sit eius oppositum. v. gr. ieiunium est melius, quàm non ieiunare; vnde colligo votum contra prius votum, aut iuramentum, aut promissionem non valere. Valet autem actio bona sub turpi conditione, v. gr. voueo eleemosynam: si furabor; quia post patratum furtum, melius quidem eleemosynam dare, quàm oppositum. Item bonus effectus ex turpi actu est voti materia, v. gr. Voueo eleemosynam, si filius ex concubina nascatur. Similiter si fiat in gratiarum actionem pro actu turpi, v. gr. Voueo calicem, si bello iniusto sit parva victoria. *Quid si fiat ob turpis actus impetrationem?* Non valet; vt Voueo eleemosynam ad vindictam obtinendam.

8. *Num res precepta possit esse materia voti?* Potest; quia de meliori bono actu illo rem illam Deo dicaui; vnde actus omnis virtutis voti est apta materia.

9. *Num Matrimonium?* Coniugij votum per se non valet, quia contra melius castitatis bonum; nisi vel ob commune bonum precepto teneatur; vel ratione periculi intemperan-

tia;